34 · 3 · G · 22 . 6

DE S. JOANNE EUANGELISTA ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

CORAM

SANCTISS. DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XI.

PONT. MAX.

A HIERONYMO MANFRONO ROMANO.

ROMÆ, MDCCIV.

Per FRANCISCUM GONZAGAM in area Sancti Marcelli ad viam CURSUS.

EX PRÆSIDVM

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISS. DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XI.

PONT. MAX.

HIERONYMUS MANFRONUS
Εὐτυχεῖν.

QVÆ coram Te de Joanne Euangeliſta dicebam, BEATISSIME PATER, potiùs in Apoſtolum reverentia dictavit, quàm ingenium ſuggeſſerit. Vires etiàm addidit, quæ Majeſtatis Comes Tuo in Throno

Digitized by Google

CLEMENTIA *recubat, quæque me propriæ tenuitatis oblitum ad acceſſum exſtimulavit. Cum ſiquidem Tibi traditi ſint Theſauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei, aureo quos ex ore diffundis, Oceano Te ſimilem intuemur, qui immenſitate licèt aquarum dives, nè tenuiores quidem rivulos dedignatur, quin humili adſtipulatos obſequio in clientelam adſcribat. Quæ itaque juſtum pavorem imminuit è ſuggeſtu dicenti, hæc eadem* CLEMENTISSIMI PRINCIPIS *Comitas Sacros ad Pedes deoſculandos provolutum adducit.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

FUlgidiſſimum Tonitrui filium fulmen, Joannem verbis coràm allaturo, Beatissime Pater, impavida ſanè Aquilæ fortitudine fulmina tractantis, cui aſſimilatur Apoſtolus, mihi opus eſſe haùd diffitear. Quia tamèn & loci dignitas, & à Majoribus accepta conſuetudo præſcribunt, ut Dilectus præ cæteris Æterni Verbi Diſcipulus, atque eximius myſteriorum Dei diſpenſator debito, quàmvis impari, exornetur præconio; ſi laudibus illius proferendis non ſufficiam, eas ſaltèm pro viribus attigiſſe ſit ſatis; cujus mihi ſermonis caput erit hæc Petri ad Magiſtrum expoſtulatio: ***Domine hic autem quid?***

D. Aug. 36. in Joann.

1. ad Cor. 4.

Quid verò ſupervacanea Præceptorem interrogatione compellem, ac non

Digitized by Google

non animo potiùs repetam, quæ Apo-
ſtolici ille Princeps Senatus de Joanne
Marc. cap 3. 6. 17. pridèm acceperat, cum filium Toni-
trui appellatum audivit? Ea ſiquidèm
eſt Divini virtus eloquii, ut quales
nos enunciat, tales efficiat. Quare
non immeritò hæc de Joanne hodierna
luce canit Eccleſia: *Ecce Puer meus,*
quem elegi, poſui ſuper eum Spiritum
Ezech. 13. *meum.* Spiritum ſcilicèt tempeſtatis,
Luc. 12. quo deſtruatur peccatum, Spiritum
ignis, quo accendatur Orbis, Spiritum
Idem 11. fulgoris, quo illuminentur gentes,
quo ex ruinarum lapidibus filii Abra-
Idem 3. hæ ſuſcitentur; Fulgura quippè illa
Pſalm. 96. Domini, quæ Scriptura refert, Orbi
illuxiſſe Terrarum, & inimicos ejus
2. Reg 22. contriviſſe, nil clariùs quàm Joannem
portendunt. Illuxit ſanè ubique Ter-
rarum, illuxit profectò Joannes, dùm
quas Mundi regiones corpore præſens
non potuit, è Cælo accepta Sapientia
adeò fœliciter peragravit, ut omnem
Rom. 10. Terram ſonus ejus pervaſerit, & in
fines

fines Orbis terræ Cæleſtia ejus verba penetrarint; quibus Idola tanquam electa ſagitta proſtravit, Gentilium *Iſaia 45.* mentes, infidelitatis tenebris circumfuſas, Fidei claritate replevit, & quibus Chriſtus crucifixus olim ſtultitia *1. Corinth. 1.* fuerat, revelata propemodùm facie, veluti Juſtitiæ Solem aperuit: Unde & jure, quod Deorum quos ſuperſtitioſa colebat Religio, impia corruerint ſimulacra, & Crucis ſplendore circumquaquè radiante, Divina Fides profana Templa ſacraverit, Sancta lætatur Eccleſia.

Hinc non impunè etiam noverunt, quos monſtruoſos evomuit Abyſſus Dracones, Ebion, atque Cerinthus auſi, ſpecioſum Chriſtiani jactantes nomen, Chriſti negare Divinitatem, ipſumque ante Mariam fuiſſe audactèr inficiari. *Iren. lib. 3. cap. 3.* Noverunt, inquàm, experimento Divini Fulminis hujus quanta ſit virtus, quando inauditis à Sæculo verbis illis: *In principio erat Ver-*

Digitized by Google

Verbum, *& Verbum Caro factum eſt*, confeſtìm oppreſſi, Poſteros docuerunt quantum una Joannis auctoritas, ac abundantia gratiæ profecerint, qui
Aug. de Con- nubila humanæ mentis pertranſiens,
cord. Euāg. 3. ſublimis Verbi Divinitatem ſpeculabatur.

Sed ut omnia brevì complectar:
1. Corint. 11. Hæreſes eſſe oportere, Paulo auctore, dùm dicimus; jàm nullum Hæreticorum caput ſeſe attollere attentaſſe fateamur, quod Fulminea Joannis Doctrina, ſumma perculſum facilitate, non fuerit, fœlicitate dejectum, admiratione conſumptum: Quaproptèr ſaluberrimo hoc Uindice Fulmine illud ſibi Pſalmiſtæ potuit Eccleſia uſurpare:
Pſal. 26. *Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt*.

Digitized by Google